

Mythologia

NUMMI IANI RATITI
PROPEMPTICA,

HONORI ET DISCESSUI
EX ORCHESTRA ACADEMICA JENENSI
AD CANCELLARIATUM GERANUM

V I R I

*Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi
& Excellentissimi,*

D O M I N I

PETRI MULLERI,

Jcti & Antecessoris celeberrimi,
Scripta

à

GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO.
M DC XCH.



J E N Æ,
LITTERIS KREBSIANIS.





VIR EXCELLENTISSIME,
DN. COMPATER ET AMICE
COLENDISSIME,

Solemus amicis sub abitum no-
stram commendare memoriam,
non verbis solum, sed & congia-
riis, annulis, aliisque rarioribus
donis, quo & monumentum quod-
dam statuamus amoris, & obtutu hoc ad nos vo-
cemus absentem. Vtut enim veri amici motu
proprio ferantur in eorum quos amant, etiam
absentium, recordationem, nec dememinisse
queant; inter illos tamen negotiorum vorti-
ces, aulæ splendorem, aliorum hominum facies,
facile occursant, quæ distrahunt mentem, &
velut umbram quandam obducunt eidem. Est
velut speculum hoc, in quod intuentibus mo-
ven-

);(

ven-

ventur sensus, revocatur facies, innovatur affectus, recurrit grata conversatio, repetit desiderium & oblectatio pristina.

Cogitanti mihi, quid sub discessum illum insperatum Tuum, quo à nobis divulsus sejungeris & aliud coelum subis, non minori fulsurus splendore, quid, inquam, insinuare queam, & gratulantibus votis innectere velut coronidem quandam hætenus exculti amoris & infucatae amicitiae, in mentem venit nummus Iani ratis, cui ruspando & explicando navabam operam. Hunc ergò constitui Tibi dedicare, & socium viae offerre, vel mentis potius Tuæ & memoriae individuum.

Si antiquitatem spectes, est ex vetustissimis, & inter illos agmen ducit. Quid enim vetustius Iano, qui primus fabricam nummorum invenisse scribitur? Exhibeo hunc, non æreum illum, rudiolem, & sic ævi pristini testem vivum & superstitem, sed in lemmata ductum & mystico sensu condentem profundiora amicitiae genuinae inter absentes arcana.

Concedes enim facile illum usum, quo depromatur è thesauro meo, ut in honorem Tuum cedat, vel saltim in mei, quod expeto, memoriae

moriā , & mythologicè explicetur. Neque hodiè nata est , vel noviter propullulans amicitia nostra , progressa ad pubertatis annos , sed amoris gradu dudum ἀκμὴν consecuta. Antiquam in Te admiratus sum fidem , Germanum candorem , infucatum animum , ut hic ipse nummus genuinus est , & loco canitie viriditatem ostendit inimitabilem.

Sunt inter nummos , qui antiquariis audiunt *Vnici* , quod parem non habeant hanc vel illam inscriptione & modulo. Ausim dicere hunc meum , jam verò Tuum , unicum esse ex nummis Iani ratitis. Non enim fugere potuisset tam curiosos , tam oculatos & solertes scrutatores. Te quoque deprædico unicum , quod citra injuriam aliorum , quorum favore glorior , dixerim , amicum : ut plures dantur ratiti , qui nostrum hunc non assequuntur.

Sed ecce Tibi symbolum amicorum in nummo hoc :

CONCORDANT DISSITI.

Idem velle & idem nolle ea demum vera est amicitia , ajebat ille. Non illa animorum quæ corporum est conditio , non locorum interval-
lis , non mutatâ fortunâ vel facie diffident ami-

):(2

ci.

ci. Vni operantur concordiaē mutuaē, diuisā
inter se benevolentiaē & officiorum æmulatio-
ne. Vt hætenus concordēs fuimus, in profe-
quendo publico bono, in more honesto & a-
more, nunquam reconciliati: ita & distantia,
non diuellet illam copulam. Concordabimus
diffiti, memoriā mutuā, & studio ego inservi-
endi ac demerendi amorem ulteriori.

AVERSI SE RESPICIUNT.

Primo intuitu fuerit hæc non amoris sed odiī
& averfationis nota, quod frontes sint oppositæ,
non conjunctæ in amplexus. Ast, si rem ex æ-
quo æstimemus, averfi se respiciunt. Quando
Gerano sub sole evolves præsentibus oculis ob-
venientes expeditiones publicas gravissimas, in
Illustrissimorum emolumentum, in subditorum
solatium, in publicum bonum rei publicæ, in in-
crementum literarum, dignaberis respicere hîc
templum Iani à Te clausum, liceat ita loqui: respi-
cere vacuam docto ore cathedram, quam ani-
mare solebas, infomnes elucubratas noctes, ena-
tos ingenii summi foetus, in universum orbem u-
beres effulos fructus, & ut reliqua taceam, ad
me quoque. Respicias pignus hîc relictum de-
positum, quod, ut hætenus, cordi mihi erit; ut
ego

ego ad vos quoque mentis oculos convertam,
ac respiciam, ibidemque meum.

SEPARATI VNIVNTVR.

Ferruminati semel honestâ amicitia animi
uniti manent. Duo capita vides, unum pectus,
quod cum natura ipsa aliquando, licet monstro-
sè, molita sit, verius quoad nostrum scopum
quadrat. Erit forte, ubi os ori, & dextram
dextræ jungere licebit, occasio, & conveniendi
mihi Tui copia, vel, si nullam concedant fata,
conversationem præsentem, perstabit nihilomi-
nus unio amica & lætabilis.

Sed nec Iano bicipiti immorandum solum
est, videamus & navem.

REMIGIO FELICIS;

Ventis velisque secundis provehere. I! quo fa-
ta trahunt, & virtus, I! pede fausto. Inconcussa tur-
binibus, scopulis, remoris decurrat navis Tua
ad portum gloriæ & famæ immortalis. Nullæ
Te seducent Sirenes, jactura nulla fiet; sed salva
& incolumis florebit familia splendidissima.

COMMERCIO LITERARVM.

Expectat à Te nihilominus eruditus orbis
complementum inexhaustæ Tuæ & indefessæ
operæ. Erit inter fluctus laborum aliquod o-
tium

FK Tm 12/10
tium, ut appendi queant aplustria. Fuerit etiam
quædam morula, ut vel legere literas amicorum,
vel responfione beare integrum fit.

I. VRE Q. VÆSITO, T. ITULO

I. NTIMIORIS T. ESSERÆ.

Solicitabis ab amico, quæ ab eo expectari
poterunt; nil denegabitur PVRÆ MENTI,
quæ tessera hætenus fuit noscendi MVLLER-
RVM. Omnes venerabuntur nomen Tuum il-
lustre, etiam si absentis.

Speetabitur in templo honoris Nomen Tu-
um, & benè gestæ rei in Academiâ non mi-
nus ac orbe reliquo perennabit memoria. Fruere
partâ hâc gloriâ per annos Nestoreos, & ferus
in coelum redi.

Denique nummum hunc jam recipe, testem
sinceri mei animi. Vive memor nostri! Non
lares viales invocabo, sed divinum numen, ut Te
cum Tuis deducat feliciter. Servet Te DEUS,
mi MVLLER E, amicissimum mihi nomen!

Dab. raptim è muséo M DC. XCIII.

D. XIX. Nov.



Von

nc

EX. 114
12

Mythologie



UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG



ve
ve
fa
ce
qu
al
pr
co
d

